Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars III.
Wien, 1802 Seite 2167
Quelle:
Copyright:

jam illis alibi receptis *Agendis* utebantur, donec tandem a. 1617. propriis potirentur prelo *Tubingano* vulgatis 4. ut volunt iidem Autores *citt. 3. Fortsetz.* §. 38. p. 339. et 2. B. c. 29. p. 211. Falli autem eos, praesens Codex docet. Nam ad *Austriam* supra *Anasum* eum pertinere primum demonstrat *Titulus*, quem praemisi, dein *Praefatio*, ubi jubentur omnes ex his *Agendis* agnoscere paternam Procerum solicitudinem, *Irer lieben Obrigkeit der Hochberümpten Landes Stenden — Väterliche fürsorge;* non esse vero Exemplar *Agendorum Tubingae* editorum e sequentibus liquet. *Agenda Tubingana* Capitibus 37. constant; Nostra duntaxat 12. Illa c. 2. de Baptismo praecipiunt, Infantis denudatum caput facie prona supra fontem teneri, et aqua ter perfundi; Nostra jubent Infantem nudari, Patrinis caput et manus tenentibus, a Ministro una manu sustentari, altera ter liberaliter aqua perfundi et perspergi. Illa multis agunt de Baptismo Adultorum; Nostra modum aliorum Capitum in hoc non excedunt. Illa c. 12. de Coena Domini nihil meminere vestium sacrarum; Nostra c. 6. habent: *Vnter oder vor dem Veni sancte tredte der Priester so das ampt halten sol in seinem gewöhnlichen Kirchenornat für den Altar* &c. quae Sacerdoti catholico dici putes. Extant igitur *Agenda superioris Austriae* Scriptoribus illis ignota, quae, ut ad finem Sec. XVI. pertinere arbitror, ita, an unquam typis procusa fuerint, ignoro.

DCCCCI.

Codex membraneus lat. Sec. XV. Folior. 122. 8vo. luculente scriptus, auro, coloribusque speciosus, et praeter minores complures Iconibus XIII. majoribus depictis mysteria vitae *Christi* referens, adlatus e Parthenone *Halensi Tyroleos*, ubi κτημα *Ducis Leopoldi* habebatur, quem *Leopoldum* IV. dictum *Superbum*, a. 1411. vivis exemtum censeo, *Horarium* est sequentia complexum: Initia 4. Evangelistarum, Officium de B. V. *Maria*, de Cruce, de S. Spiritu, Psalmos dictos *de Poenitentia* praevia Icone *Goliathi* prostrati, Officium Defunctorum praevio cum amicis *Jobo*, et quorundam Sanctorum Commemorationes. In *Calendario* antecedenti 9. Maji *Translacio sancti nicolai*, 11. *Gengulphi martiris*, 3. Sept. *Mansueti episopi*, 1. Oct. *Sancti remigi*, 21. *Translacio S. germani*, 23. Nov. *Clementis pape*, et 24. *Crisogoni martiris* χρυσόγραφικα sunt. C. 950

DCCCCII.

Codex membraneus lat. Sec. XV. Folior. 187. 8vo. luculente scriptus, auri, colorumque ornamentis varius, et *Iconibus* XI. sacris eleganter depictis admodum speciosus, adlatusque e Parthenone *Halensi Tyroleos*, *Horarium* C. 948